

aut malum ex fine, et circumstantiis. Similiter potest illud bonum indifferens dici utile, non quia in illo sistatur ut in fine, hoc enim perversum est; sed quia de se potest esse ad alterum finem; sed tamen quia non solum ad unum finem determinatum servire potest, sed indifferenter ad bonum, vel ad malum, ideo dicitur utile indifferens, et permissum non utile determinate bonum, vel malum; sed id habet mediate, et in potentia, quatenus ex adjuncto fine, et circumstantiis bonum reddi potest, et hujus capax est.

L. Ad confirmationem constabit ex sequenti articulo. Dicimus enim, quod species semper reperitur in aliquo individuo, sed non status ipse speciei, qui est status præcisionis, iste enim ad individua non descendit. Indifferentia autem est species moralis sub quadam præcisione, et statu, quo attingit objectum sine circumstantiis, et sub hac præcisione consideratum non potest descendere ad individua, quia in individuo inveniuntur circumstantiæ, sine quibus individuatio non datur. Quare actus indifferens non est species aliqua completa, et perfecta cui sit debita positive indifferencia, ut dicit D. Thomas art. ix, solutione ad primum, id est, conservatio indifferentiæ, sed potius est status indifferentiæ, cui est debita species boni, vel mali, quo tollitur indifferencia, non immediate ex objecto, sed mediate ex fine, et circumstantiis. De quo amplius articulo sequenti.

ARTICULUS VII.

Utrum possit dari actus moralis indifferens in individuo?

I. In præsentibus distinguunt aliqui de indifferencia, quæ sit medium

inter bonum et malum, quæ sit medium inter meritorium et demeritorium. Et docent posse dari aliquem actum, qui non sit meritorius saltem vitæ æternæ, nec tamen sit demeritorius saltem damnationis. Quod quidem verissimum est in operibus bonis, quæ fiunt ab infideli, vel existenti in peccato mortali, talibus enim actibus non debetur damnatio, nec tamen sunt meritoria vitæ æternæ. Cæterum loquendo de merito, vel demerito non solum vitæ æternæ, sed generaliter cujuscumque præmii, vel pœnæ, sive temporalis, sive æternæ, idem est dari actum indifferentem, seu medium inter bonum et malum, atque inter meritum et demeritum: quia omne opus bonum morale est meritorium alicujus præmii, et omne opus malum alicujus pœnæ, ut docet S. Thomas in hac quæstione XXI. Quare de indifferencia ad bonum et malum procedit quæstio, et de illa inquirimus, an reperiatur de facto, et in re talis indifferencia moralis.

II. Et potest in triplici sensu hoc controversi. Primo, an possit indifferencia ista reperiri sine ullis circumstantiis neque bonis, neque malis, neque indifferentiis. Et in hoc sensu nullus admittit dari actum indifferentem in individuo, quia nihil individuari potest sine accidentibus, vel ordine ad illa. Accidentia autem moralia, circumstantiæ sunt. Secundo, an possit dari actus indifferens moraliter, retenta ipsa indifferencia, et conservata, adjunctis tamen circumstantiis bonis, vel malis, quæ indifferenciam ipsam non extinguant, sed relinquunt. Et tertio, an possit dari actus indifferens tam ex parte speciei, seu objecti, quam ex parte finis, et circumstantiarum, ita quod etiam ipse finis indifferens sit; an vero teneatur aliquis semper apponere bonum finem

actui, quem facit, et si illum ponit erit actus bonus, si vero non ponit erit malus, saltem ex omissione illius præcepti ponendi bonum finem. Et in hoc sensu præcipue controversatur ista difficultas.

SENTENTIÆ.

III. Generaliter loquendo duæ principales sententiæ in hac parte numerantur, et una attribuitur Scoti, altera D. Thomæ, sed de mente Scoti statim dicam, quia non facile explicari solet etiam a suis. Una ergo sententia affirmat dari actus indifferentes in individuo; alia negat.

IV. Sententia affirmativa, quæ docet dari actus indifferentes in individuo, dupliciter exponitur. Nam quidam affirmant dari actum indifferentem absolute, et per se loquendo, et ex propriis, et intrinsicis ipsius actus: alii per accidens, et pro aliquo casu, qui sentiunt per accidens, et pro aliquo casu posse dari actus indifferentes, varie id explicant. Primo Almainus tract. i moral. cap. xiv, dubio ii, explicat actum indifferentem, non in sensu in quo nos loquimur de actu indifferenti ex objecto, hoc est, quando ex objecto nec est bonus, nec malus, sed in alio sensu, videlicet quando est bonus ex objecto, sed non referatur actu præterito, vel præsentibus in Deum, ut jejulare, quod de se bonum, et temperatum est, tamen si in Deum non referatur non est absolute bonus, defectu relationis in Deum.

V. Hanc sententiam Almaini in substantia videtur tenuisse D. Bonaventuras in secundo, dist. xli, art. i, quæst. iii, et alii, licet in modo differant. Nam D. Bonaventuras etiam accipit actum indifferentem pro eo, qui non ordinatur in Deum, in quo convenit cum sententia Almaini, sed tamen differt in eo quo

loquitur de actibus non habentibus objectum bonum, sed indifferens; docet tamen quod quando aliquis ita gravatur propria imbecillitate ut difficile sit tales actus referre in Deum, tunc indulgetur imbecillitati naturæ, et non imputatur ei in peccatum si non referat illos actus in Deum, sicque non redduntur mali, sed manent indifferentes. Et alii addunt, quod in rebus minutissimis, ut levare festucam, movere manum vel pedem, non datur præceptum referendi illa in Deum propter suam modicitatem, et ita tales actus admittunt posse manere indifferentes. Quæ omnes sententiæ in eo videntur conspirare, quod admittunt indifferenciam actuum pro aliquo casu, scilicet quando non referuntur aliqui actus in Deum, licet alias ex objecto sunt indifferentes aut boni, aut quia non datur præceptum de referendo, aut quia Deus indulget imbecillitati naturæ ne referat, aut quia etiam si non referat in Deum, actus non manet malus, quia ex objecto est bonus. Et videntur in hoc impegisse isti auctores, eo quod putaverint requiri ad bonitatem actus relationem explicitam, aut actualem in Deum, cum tamen implicita sufficiat, et virtualis; ut supra disputatione prima a nobis declaratum est.

VI. Secundo alii existimant posse dari actus indifferentes per accidens, et in aliquo casu, videlicet in casu ignorantie, quando aliquis non scit se teneri apponere bonam circumstantiam, seu finem ipsi actui, aut cum quis vel uti sententia Scoti tamquam probabili, illamque exercere in praxi non apponendo finem bonum actui, sed indifferentem. Ita pater Vazquez hic disp. lxi, cap. iii, et Lorea hic disp. xxvi, dubio i. Sed quia isti actus solum sunt indifferentes ex suppositione illius conscientie probabilis, quam format ille

qui sic operatur et non ex natura rei, addit Vazquez alium modum, quo sententiam Bonaventuræ, et Alexandri Alensis explicat, et contendit etiam ex natura rei posse aliquos actus esse indifferentes in individuo, scilicet actiones, quæ fiunt ex commoditate, aut indigentia naturæ præcise, et non ex debito alicujus præcepti, aut ex honestate virtutis, sed possent omitti sine peccato, tales actus non sunt mali, quia non sunt contra præceptum; nec boni, quia non sunt propter honestatem virtutis, sed fiunt ob solam commoditatem corporis, ut expellere frigus, sputum jacere, etc. Et istos actus docet in individuo posse esse indifferentes.

VII. Et ex hoc transimus ad secundum modum explicandi hanc sententiam, scilicet quod possint dari actus indifferentes in individuo, non solum per accidens, et pro aliquo casu, aut ex aliqua suppositione probabilis conscientiæ, aut alicujus indulgentiæ Dei, sed etiam absolute, et per se, quia ipsa natura actus id exigit, aut requirit. Et in hoc est sententia Scoti quæ communiter circumfertur admittentis hos actus indifferentes simpliciter in individuo, cum tamen neget ipse dari actus indifferentes ex objecto, seu ex specie; sed intelligit, quod ex parte objecti malum et bonum, seu conveniens et disconveniens sunt immediate opposita. Quod aliquibus durum videtur, et inter se contrarium, cum tamen Scotus longe aliter sentiat de indifferentia actuum, et in alio sensu eam sumat, quam communiter accipi solet, ideoque non admittit indifferentiam ex objecto, et admittit in individuo. Unde oportet prius sensum Scoti explicare, et distincte proponere, ne frustra laboremus in impugnando tamquam Scoti sententiam, id quod ipse non sentit.

VIII. Pro intelligentia ergo sensus Scoti supponendum est id quod ipse docet in secundo, dist. XL, quæstione unica, §. De secundo, quod bonitas actus moralis est ex aggregatione omnium eorum, quæ conveniunt actui secundum rectam rationem: et in hoc genere, seu linea, prima ratio bonitatis ejus est ex ordine ad efficiens, scilicet quod voluntarie, et libere fiat. Et hoc est commune actui bono, et malo. Secunda conditio bonitatis est ex objecto, quod si sit conveniens tunc est actus bonus ex genere, qui tamen adhuc est indifferens ad superiores bonitates, quæ sumuntur ex circumstantiis, inter quas prima est finis. Qua doctrina posita intelligi potest, quod Scotus docet, et in distinctione XLI sequenti et distinct. VII ejusdem secundi, §. Ad solutionem, et in quodlibeto XVIII, art. I, littera K. Quibus locis admittit Scotus dari actus indifferentes ex ordine ad finem, vel circumstantias, licet in ordine ab objecto actus sit bonus, et ita non sumit indifferentiam eo modo, quo D. Thomas et nos. Nam D. Thomas sumit indifferentiam pro eo quod ex objecto proprio, et immediato non est bonum, neque malum, potest tamen ex fine, et circumstantiis reddi bonum, et tenetur homo cum exercet illum actum ponere finem bonum, ne actus otiosus sit, sed possit de eo reddere rationem. Scotus autem non sumit indifferentiam ex objecto, quin potius docet in secundo, dist. VII, omnem actum ex genere suo, seu objecto esse bonum vel malum, id est, vel conveniens vel disconveniens, et non dari medium inter bonum, vel malum ex objecto. Dicit autem sumi indifferentiam actus ex ordine ad finem, et circumstantias, quia objectum adhuc in se bonum, verbi gratia dare eleemosynam potest fieri non ex ipso fine misericordiæ, aut alio fine bono, et sic

indifferens est, ut fiat bene vel male. Eos autem actus, quos nos vocamus indifferentes, ut levare festucam, movere barbam, ipse reputat pro actibus non humanis, sed ex imaginatione, non ex libero arbitrio procedentibus, ut patet in illa distinctione XLI, §. Aliter in fine, littera C.

IX. De hac ergo indifferentia actuum alias bonorum ex objecto, seu indifferentium ex circumstantia ad finem bonum, vel malum, tria dicit Scotus. Primum est, talis actus licet sit bonus ex objecto potest esse indifferens secundum bonitatem moralem virtutis, ita quod nec sit bonus moraliter; nec malus malitia contraria. Dicitur ille actus non bonus bonitate morali, quia licet ex objecto sit bonus, verbi gratia facere eleemosynam, restituere ablatum, tamen potest fieri non ex fine, seu honestate virtutis, sicut possumus facere justum non juste, ut dicit philosophus II ethicorum, cap. I. Ut autem actus sit virtuosus, et bonus moraliter non sufficit, quod faciat bonum, aut justum, sed quod faciat bene, et juste, scilicet, ex bono fine, et ex honestate virtutis, quo deficiente, actus non est moraliter bonus, seu ex virtute. Nec tamen est malus contrarie, quia ex objecto non facit malum, et ex fine non apponit finem indebitum, et repugnantem, sed solum omittit ponere bonum. Ita habet dicta distinctione XLI, §. Aliter in principio. Nec Scotus negat hunc actum esse indifferentem ex specie, quia bonum ex objecto ex genere apud ipsum, deinceps ex fine, et circumstantiis sumit speciem moralem, ut dicit illa distinctione XL.

X. Secundo dicit, non teneri hominem semper referre actu, vel virtute actum quem facit in Deum, vel in bonum finem, quia Deus non obligavit nos ad hoc. Unde potest

omittere homo relationem actus in bonum finem, et non peccare, et hoc dicit esse probabile. Sic habet citata distinctione XLI, §. Aliter, littera B.

XI. Tertio dicit, quod quando actus omittit ponere bonum finem dicitur privative malus, quando autem apponit indebitum, seu repugnantem finem, dicitur malus contrarie. Unde vocat actum indifferentem malum privative, eo quod privatur, seu omittit referri in bonum finem, et honestatem virtutis. Ita docet disputatione septima citata et dist. XLI, et quodlibeto XVIII citato. Quod dictum aliqui carpunt, et damnant vel contradictionis in Scoto, vel impropriæ locutionis, cum actus indifferens solum negative deberet dici malus, non privative. Sed tamen in hoc ego non multum litigare, quia Scotus contraponit privative malum malo contrarie in hoc quod privative malum dicit nudam, et solam carentiam alicujus boni, cujus actus est capax, nec tamen habet illam, scilicet relationem in finem bonum, nec fit ex ipsa honestate virtutis. Malum autem contrarie dicit privationem rectitudinis cum repugnantia ad regulam rationis, et non solam carentiam alicujus boni alias præcepti. Sic ergo, quia apud Scotum actus dicitur indifferens per carentiam bonitatis ex fine, vel circumstantiarum, quæ alias non sunt in præcepto, vocat talem actum malum privativum, et carentem aliquo bono, licet non sit malum morale eo sensu quo privationem rectitudinis vocamus peccatum. Quare sensus Scoti non est vocare actum indifferentem malum privative, hoc est peccatum, hoc enim apud ipsum est malum contrarie, sed actum privatum aliqua bonitate non debita, seu necessaria, cujus tamen est capax: et ideo non vocat illum malum negative, sed privative. Est tamen locutio Scoti quan-

tum ad hoc duriuscula, quia a communi modo loquendi recedit, et occasionem præbet etiam acutioribus oculis sinistre ipsum intelligendi. Certe tamen qui impugnare debet Scotum, hanc ejus mentem, et sensum a nobis allatum debet impugnare, non aliud quidpiam quod ei attribuatur, quia revera hoc est quod Scotus docet, quidquid sit de modo ejus loquendi.

XII. Tandem est sententia secunda in hac parte, quam D. Thomas et ejus discipuli, ac frequentior theologorum approbatio sequitur, nempe non dari actum indifferentem in individuo, sed semper exerceatur aut bene aut male si libero modo exerceatur, et moraliter atque humane, ut jam explicamus.

RESOLUTIO EX MENTE S. THOMÆ.

XIII. Sit ergo conclusio: Actus indifferens quocumque modo sumatur, sive usitato modo apud theologos pro actu habente objectum neque bonum, neque malum, sed tantum permissum, sive eo modo quo sumit Scotus pro actu ex objecto suo bono, ex circumstantiis autem indifferenti; sive pro actu non relato in finem bonum, non potest dari in individuo, et quoad exercitium, ita quod exerceatur indifferenter, quod non solum ex objecto, sed etiam ex fine, et circumstantiis indifferens maneat; sed necesse est quod omnis actus, si est humanus, et exercetur in individuo modo libero, sit bonus, vel malus. Hæc conclusio est S. Thomæ hic quæst. xviii, art. ix et quæst. ii de malo, art. ix, et aliis locis, quæ citantur in margine hujus quæstionis xviii, art. ix. Sequuntur discipuli D. Thomæ hic Cajetanus, Conradus, Medina, Curiel, Lorca, Montesinos super istum locum D. Thomæ.

Eandem sequitur Valentia, Salas, Bellarminus, Azor, Navarrus, Vega, quos citat Montesinos hic disp. xxv, quæst. ii et iii; sequitur etiam Suarez 1-2, disp. ix, sect. iii; Cornejo hic dubio ultimo: ex antiquis etiam Durandus, Richardus, Major in secundo, dist. xl.

XIV. Fundamentum hujus sententiæ sumitur ex unica ratione D. Thomæ in quam conflatur tum vis auctoritatum, tum pondus rationis. Et ut simul utrumque in eadem ratione jungamus formo sic rationem, et explico fundamentum D. Thomæ. Necesse est omnem actum humanum deliberate procedentem ordinari ad finem debitum, et rectum, vel non ordinari ad illum; ergo necesse est omnem actum hominis a deliberativa ratione procedentem in individuo consideratum bonum esse, vel malum. Consequentia probatur, quia si actus ordinatur ad debitum finem convenit cum ordine rationis, et est bonus, cum alias ex objecto malus non sit, nec ex aliis circumstantiis (ut supponimus.) Si vero non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, et habet ordinem mali, quia si necesse est (necessitate scilicet debiti, et præcepti) quod ordinetur ad debitum finem alias si actus ad debitum finem non ordinatur, otiosus erit, manifeste sequitur, quod si non sit ad debitum finem ordinatus, habet rationem mali, et repugnat rationi, atque adeo non solum erit malus privative, sed contrarie (ut contra Scotum loquamur verbis Scoti) quia illud est malum contrarie, quod non solum inducit carentiam alicujus boni, sed etiam aliquid rationi repugnans. Antecedens vero relinquatur a D. Thoma probatum in argumento Sed contra ex auctoritate Gregorii. Quod verbum otiosum est illud, quod caret utilitate rectitudinis, aut ratione juste ne-

cessitatis, aut pie utilitatis caret, quod autem caret bono fine caret omnibus istis; ergo est verbum, vel actus otiosus. Et idem probat solutione ad tertium, quia omnis finis a ratione deliberata intentus pertinet ad bonum alicujus virtutis, vel ad malum alicujus vitii. Nam et hoc ipsum quod aliquis agit ordinate ad sustentationem, vel quietem sui corporis, ad bonum virtutis ordinatur in eo, qui corpus suum ordinat ad bonum virtutis, et idem patet in aliis. Quibus verbis excludit opinionem Vazquez, qui posuit actus propter commoditatem naturæ factos esse indifferentes, et non ex honestate virtutis quando alias possunt omitti sine peccato.

XV. Sic se habet ratio D. Thomæ, cujus tota vis in id reducitur, ut ostendatur dari præceptum, ut non exerceatur, et fiat aliquis actus sine oppositione boni finis, licet ex objecto talis actus bonus non sit, sed indifferens. Unde hoc ipso, quod non fit actio ex bono fine, nec diligitur id quod rectum, et bonum est, actio ipsa mala est, nec manet indifferens. Hoc autem amplius probari potest a nobis triplici medio. Primo argumento deducto ex Scriptura, et patribus, præsertim Augustino et qui eum sequuntur Prosper, Fulgentius, Hilarius, etc. secundo, ex ipsa ratione verbi otiosi, et definitione ejus, quæ sine dubio convenit actui facto ex fine indifferenti: tertio, ab inconvenienti, quod sequitur ex opposita sententia.

XVI. Primo ergo ex Scriptura formo sic argumentum: De omnibus quæ homo deliberate, et humano modo operatur, tenetur reddere rationem in judicio Dei, ita quod si rationem non reddat punietur, si vero possit reddere rationem, præmiabitur: sed de opere indifferenti non potest reddi ratio in judicio Dei: ergo opus indifferenter factum punie-

tur: ergo est malum hoc ipso quod indifferenti modo, seu ex indifferenti fine fit: ergo datur præceptum ne indifferenti modo, et ex fine indifferenti exerceatur juxta gravitatem, vel levitatem materiæ. Istæ ultimæ consequentiæ sunt per se notæ, quia non potest puniri nisi actus malus, nec potest esse malus, nisi prohibitus, et contra, vel præter aliquam legem. Primo vero consequentia constat, quia in judicio Dei illud opus, de quo non potest reddi ratio punietur, si quidem non præmiabitur, in judicium autem solum adducetur id quod potest præmiari, aut puniri, quia actus qui sunt incapaces præmii, aut supplicii, in judicium non veniunt; ergo si ille actus, de quo non potest reddi ratio in judicio non accipiet præmium, utique accipiet supplicium. Si ergo actus indifferenter facti adducuntur in judicium, utique vel ad præmium, vel ad pœnam adducuntur, si enim incapaces sunt præmii, aut pœnæ, ad judicium non spectant, in quo solum ista duo redduntur judicanda. Et ita si pro actibus indifferentibus non recipietur præmium, quia non potest de eis reddi ratio, utique accipietur pœna, atque adeo supponitur in eis culpa.

XVII. Major vero hujus syllogismi probatur ex generalibus locis Scripturæ, ubi docetur cunctas hominum operationes in judicium esse adducendas, ut Ecclesiastes ultimo: *Cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit*: Isai. ultimo: *Ego autem opera eorum, et cogitationes eorum venio, ut congregem cum omnibus gentibus, et linguis*: et ii ad Corinth. v: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum, sive malum*: Matth. xii: *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines*